

# Cur Exercitationes Latinas diligam

von *Alfons Weische*

---

Aus: *Altera Ratio* : Klassische Philologie zwischen Subjektivität und Wissenschaft ;  
Festschrift für Werner Suerbaum zum 70. Geburtstag / hrsg. von Markus Schauer  
... – Stuttgart : Steiner, 2003, S. [171] – 175.

[SONDERDRUCK]

ALFONS WEISCHE

## Cur Exercitationes Latinas diligam

Cum essem discipulus in gymnasio, litterae Graecae mihi multo magis placuerunt quam Latinae. Id factum esse puto non tantum cognitione atque admiratione rerum naturae, quae et apud Homerum et apud Platonem gratia iuvenili splenderet, sed etiam propria forma linguae ipsius. Quaecumque sunt aut fiunt, illo sermone tamquam instrumento subtili describi possunt. Itaque ii, qui opera Graeca legunt, facile cognoscunt, quo modo auctor cogitata comprehendere voluerit. Etiam participiorum copia efficitur, ut periodos Graecas celeriter percurramus. Sed in periodis Latinis saepe haeremus, cum sententiae secundariae graduum diversorum nobis occurrant. Tamen sonus sermonis Latini mihi erat familiaris, praesertim cum liturgia Latina in ecclesiis catholicis illo tempore in usu esset. Cantus Gregorianus melodiarum robore et dulcedine mentes elevans ita cum verbis Latinis coniunctus est, ut claritas vocum et structura sensus dilucide appareat. Cum verba Latina canuntur, vocales sua puritate eximie lucent. Quaecumque detrimenta doctrina classica vel ecclesiastica capiet, sonus linguae Latinae, cum tot et tantis compositionibus musicis sit fundamentum, numquam peribit. Quam iucunda est haec consolatio!

Cum discimus linguam hodiernam, volumus ita loqui et scribere, ut homines hodie loquuntur et scribunt. At quid faciamus in lingua Latina auribus et animo adripienda? Manifestum est oportere illum statum sermonis prae ceteris amplecti, quo auctores linguae communi quam proximi fuerint. Hic status sermonis viguit aetate Terentii et Ciceronis.<sup>1</sup> Ideo exemplaria Latine scribendi vel loquendi ex illa aetate sumere debemus. Cicerone mortuo quaedam scriptorum separatio a lingua communi facta est. Quamvis sit grandis rerum scriptor Sallustius, tamen ego quidem nescio, sintne quaedam artificia in elocutione elaborata laudanda an ridenda. Similia dicere licet de Livio.<sup>2</sup> Procreavit enim sibi elocutionem vere pulchram magna libertate usus. Hoc modo egerunt summi auctores, e. g. Tacitus et Tertullianus.<sup>3</sup> Non ignoro elocutionem Taciti admirabili modo aptam esse ad sensus exprimendos; id subtiliter et copiose demonstravit Henricus Heubner, quem magistrum meum in gymnasio fuisse libentissime recordor. Sed etiam tum, cum discipulus eius eram, in sermone Ciceronis vocem naturae audire mihi videbar; in Taciti sententiis ars ingenio procreata admirationem potius quam dilectionem in animo meo excitabat. Postea in annos melius intellexi, quibus modis Cicero vario ingenio et acri iudicio effecisset, ut summa ars mihi natura esse videretur. Itaque numquam dubitavi, quin viri docti velut Lorenzo Valla et Angelo Camillo Decembrio<sup>4</sup> rectam viam nobis monstravis-

sent, cum illis litteris cognoscendis, in quibus lingua Latina ut vividus sermo appareret, studerent. Quamvis admirabilia et iucunda sint permulta carmina et opera medio aevo Latine conscripta, tamen illo sensu pulchritudinis naturalis, qui novus saeculo decimo quarto et quinto exstitit, homines quasi coacti sunt id agere, ut lingua Latina non iam esset instrumentum artificiale<sup>5</sup>, sed natura sua et moribus renasceretur. Qui recte auctores aetatis aureae intellegere et eorum elegantia frui volebat, sciebat se sermone Ciceroniano<sup>6</sup> uti debere in scribendo, dicendo, loquendo. Mihi quoque Fortuna favit, ut in gymnasio linguam Latinam non legendo, sed scribendo, i. e. vertendis sententiis Theodiscis, discerem; eodem modo assueti sumus sermone Graeco. Non dubito, quin gavisi simus, si magistri nobis suasissent, ut sententias Latinas ipsi fingeremus vel textus conscriberemus.<sup>7</sup>

Cum in Universitate Monasteriensi isdem fere annis atque tu, carissime Werner Suerbaum, litteris Latinis et Graecis studerem, floruit in Exercitationibus Latinis Ludwig Kuhlmann, vir vere Ciceronianus. Ante meridiem erat praeceptor in Gymnasio Mariano, post meridiem nos docuit sermonem Latinum. Versiones nostras humaniter emendavit vel etiam correxit. Ipsius sententiae et textus perspicuitate et elegantia ita excelebant, ut exemplo nos multo magis doceret quam monitis. Cognovimus, quanta varietas in Latinitate Ciceroniana exsisteret, qualis esset propria natura sermonis Latini, quam iucundum esset in illa lingua sine ulla difficultate versari. Breviter dicam: Quod sermo Latinus est vera lingua, id in eius Exercitationibus non tantum docti, sed etiam experti sumus.<sup>8</sup>

Dixerit quispiam: Cur tu tempus teris in usu linguae Latinae perficiendo et docendo, cum libenter Francogallice loquaris et complurium linguarum non sis ignarus?<sup>9</sup> Respondet pro me Immanuel Kant, philosophus clarissimus, cum dicit ad veram pulchritudinem in dicendo cognoscendam opus esse lingua, qua homines non iam utantur; linguam enim eius modi neque in vocabulis neque in praeceptis grammaticis mutari posse<sup>10</sup>. Quaerat vero forsitan amator linguae Graecae, nonne sit melius maxima industria uti Exercitationibus Graecis. Nam Atticus sermo ex operibus Platonis et oratorum nobis non minus notus est quam Latinus aetatis aureae. Certe sunt maxima laude digni, qui, velut Herwig Görgemanns, Attice scribunt et disputant et loquuntur. At putamus nos Latine scribentes disputantes loquentes non tantum ad antiquitatem accedere, sed socios fieri permultorum et summorum hominum, qui usque ad nostram aetaten carmina, orationes, opera philosophica Latine conscripserint. Ex eorum ingenti numero unum nomino Benedictum (Baruch) de Spinoza. Latinitas eius tot et tantis virtutibus excellit, ut elocutionem eius describere non ausus sim, quamquam id compluries desideraverim. Cogitat profecto in lingua Latina, non quidem, ut philosophi medii aevi, in sermone artificiali, sed in illa pulcherrima forma linguae Latinae, quae tribus saeculis ante eum restituta est. Suadeo ergo eis, qui litteras Latinas legunt, imprimis eis, qui scribendo vel loquendo Latinitatem colunt, ut incumbant in opera huius Benedicti. In una autem re locum supra Ciceronem obtinuit: Cicero de tranquillitate animi locutus est, Spinoza eam habuit. Quaecumque de re agit, quies et tranquillitas apparet in omni pagina.

Cum exercitationes Latinas plurimi aestimem, assidue in hoc genere docendi labo-

ravi, etiam tum, cum otium nactus eram. Munera, quibus in Universitate functus sum, ita definita erant, ut deberem litteras antiquas explicare et (ab anno 1975) linguam Latinam ita describere, ut in generali grammatica hodierna fieret. Existimabam autem scientiam vocabulorum et normae grammaticae esse fundamentum, in quo cetera studia constituerentur. Certe in exercitationibus non de omnibus rebus agere possumus. Quamvis iucunda sit cognitio adiectivorum et verborum, quibus colores significantur, tamen haec doctrina in versibus explanandis vel in ordine, qui in lingua ipsa inest, describendo locum aptum habere potest. Sed vocabula, quae ad rem publicam spectant, saepissime studentibus obviam eant. Eis verbis recte uti non possunt, nisi in re publica Romana differentia rerum eis nota est velut contionum et comitorum, legum et edictorum, causarum privatarum et publicarum. Ideo in exercitationibus una cum linguae scientia notitia rerum Romanarum existit. Neque minor est utilitas Exercitationum ad artem explanandi textus colendam; saepe enim distinguere oportet inter usum proprium et metaphoram et metonymiam. Cum vocabulis discendis coniungere debemus studium artis grammaticae; etiam cum Exercitationes gradus superioris habemus<sup>11</sup>, in singulis textibus vertendis certa praecepta huius disciplinae ante oculos ponantur. Prosunt necessario studentibus exercitationes, ut fundamento firmo, dum litteras legant, nitantur, et ut facile ipsi sententias Latinas conficere possint, cum magistri in scholis futuri sint. Maximum autem praemium laborum est gaudium, quod exoritur ex sermonis ipsius forma et pulchritudine.

In Universitate Monasteriensi saepius Progymnasmata institui, in quibus commilitones praecipue fabulas Aesopias amplificarent vel commutarent et chrias secundum praecepta antiqua conscriberent. Hanc methodum et Verinae ad Lupiam (Werne an der Lippe) in Circulo Lupiano et Frisingae in Scholis Frisingensibus demonstravi et adhibui. Libenter ii, qui aderant, ingenium in inventione et elegantiam in elocutione exhibuerunt. Cum opuscula sua recitavissent, plausu et admiratione commilitonum gavisii sunt. Nobis videbamur ad antiquitatem proxime accedere, etiam cum de rebus vitae hodiernae ageremus.

Exercitationes Latinae quot et quanta dent gaudia, enumerare non possum. Tres tantum cogitationes proferam. Primum: Vocalitas sive sonoritas non solum a legente auditur, sed ei rei consulitur ab eo, qui orationem Theodiscam vertit vel novum textum procreat. Hoc fit in delectu verborum et in eorum compositione.

Deinde: Cum conamur Latine exprimere, quid sentiamus, ducimur ad priscum statum linguarum Indo-Europaearum. Casibus puris ibi plerumque indicabatur, qua ratione res altera ad alteram se haberet.<sup>12</sup> Paucis praepositionibus homines utebantur, inter quas aetate Ciceroniana *in* et *ex* dominabantur. Neque articulus, qui dicitur, inventus erat. At in sermone Graeco similiter atque in linguis hodiernis compluribus praepositionibus et articulo maior subtilitas iam reperta erat.<sup>13</sup> Ciceroni ergo, cum verteret textus philosophorum Graecorum, difficultas ex hac differentia linguarum exorta superanda erat. Nos quoque in Exercitationibus Latinis cogimur diversarum linguarum instrumenta, ut ita dicam, comparare. Ex hac comparatione adipiscimur scientiam, quae nos delectet et nobis prosit in familiaritate cum auctoribus Latinis confirmanda.

Denique: Libertate in ordine verborum concessa fruente ei, qui orationem Latinam leget vel audiet, facile demonstrare possumus, quas res magni aut parvi aestimandas putemus.<sup>14</sup> Etiam coniunctio sententiarum hac ratione manifesta fieri potest. Iuvat ergo verba ita disponere, ut in eorum ordine structura cogitationis appareat.

- 1 Cf. Johann Philipp Krebs / Joseph Hermann Schmalz: *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1905 (Darmstadt 1962), p. 4; Hannah Rosén: *Latine loqui. Trends and directions in the crystallization of classical Latin*, München 1999, passim; Roman Müller: *Sprachbewußtsein und Sprachvariation im lateinischen Schrifttum der Antike*, München 2001 (Zetemata 111), p. 13 n. 3 de historia vocis, quae est ›klassisches Latein‹.
- 2 Thorsten Burkard et Markus Schauer (Lehrbuch der lateinischen Syntax und Semantik, Darmstadt 2000, cf. hic p. XV-XVIII), cum nullius auctoris nisi Ciceronis et Caesaris sententias ut exemplaria praebuerunt, opus confecerunt, quod magis congruat et cum disciplina linguistica et cum historia linguae Latinae quam liber, quem celeberrimum et utilissimum conscripsit Hermann Menge (*Repetitorium der lateinischen Syntax und Stilistik*, Leverkusen 1955).
- 3 Fortuna favit antiquitati posteriori et medio aevo, cum varia et ingentia opera St. Augustini hominibus legenda dedit, unde multiplicem pulchritudinem, quae in prosa oratione existeret, cognoscerent et sibi haurirent.
- 4 Cf. Angelo Camillo Decembrio: *De politia litteraria*. Kritisch herausgegeben sowie mit einer Einführung, mit Quellennachweisen und einem Registerteil versehen von Norbert Witten, München 2002 (Beiträge zur Altertumskunde 169).
- 5 Hac mutatione, quae in sermone Latino colendo et in antiquitate cognoscenda facta est, animi liberati sunt, ut apti essent et ad linguas, quibus vulgus uteretur, perpoliendas et ad varias disciplinas multifariam augendas. Tamen dolent ii, qui historiae artis dialecticae student velut Martha et William Kneale (*The Development of Logic*, Oxford 1962, p. 300), quod ›genuine logic was neglected for rhetoric ...; Laurentius Valla ... and Rudolphus Agricola were two writers who started the corruption.‹ Recte dolent, nam lingua artificialis magis idonea est ad doctrinam dialecticam vel mathematicam exprimendam quam sermo naturalis.
- 6 Quibus modis differant virorum doctorum opiniones, quae de imitatione Ciceronis et aliorum auctorum prolatae sint, legas in opusculo ›Ciceronianismus‹ inscripto, quod Manfred Landfester confecit (*Der Neue Pauly*, Bd. 13, Stuttgart / Weimar 1999, 646-650) vel in libris ibi indicatis. Cf. etiam Manfred Kraus: ›Exercitatio‹, *Historisches Wörterbuch der Rhetorik*, Bd. 3 (Darmstadt 1996) 71-123, praesertim 93-94 de variis generibus Ciceronianismi.
- 7 Vox Francogallica ›thème‹ nos monet, ne in exercitationibus contenti simus orationibus vertendis, sed ut libere vagemur in cogitationibus exprimendis. Cf. Othon Riemann, *Études sur la langue et la grammaire de Tite-Live*, Paris 1885, p. 27 n. 1: ›on ne sait une langue morte ou vivante, que si on est en état de l'écrire à peu près correctement, et, pour arriver à comprendre les auteurs latins, il faut s'être exercé à écrire et à penser dans leur langue.‹ Itaque Riemann dicit se dolere, quod exercitationes Latinae in scholis minoris aestimarentur quam antea. – Quam vivida fuerint in Britannia haec studia, narrat Arnold J. Toynbee in autobiographia, quae inscribitur ›Experiences‹ (London 1969; Theodisce: *Erlebnisse und Erfahrungen*, München 1970, 28-31). Cf. Manfred Kraus, (ut in n. 7).

- 120-121 de saeculo vicesimo: »Während lateinische Stilübungen an deutschen Hochschulen nur eine Randexistenz führen, wird an den englischen Eliteuniversitäten die Technik der *Latin prose and verse composition* noch bis weit über die Jahrhundertmitte hinaus geübt.« – Quantopere exercitationes huius modi per multa saecula floruerint, demonstrant Manfred Kraus (ut in n. 7) et homines docti, qui studia sua inseruerunt in librum a Bianca-Jeanett et Jens-Peter Schröder editum: *Studium declamatorium. Untersuchungen zu Schulübungen und Prunkreden von der Antike bis zur Neuzeit*, Joachim Dingel zum 65. Geburtstag, München / Leipzig 2003 (Beiträge zur Altertumskunde 176), e. g. Wilfried Stroh: *Declamatio* (p. 5-34), Gernot Krappinger: *Vives' Antwort auf Ps. Quintilians *Paries palmatus*: Die Deklamation *Pro nouerca*. Text, Übersetzung und Erläuterungen* (p. 289-333), Walther Ludwig: *Deklamationen und Schuldramen im 17. Jahrhundert – das Beispiel des Gymnasium der Reichsstadt Schwäbisch Hall* (p. 335-372).
- 8 Karl Friedrich von Nögelsbach in dedicatione libri sui celeberrimi (Lateinische Stilistik, 1846; Nürnberg 81905) scribit adloquens Karl Ludwig von Roth: »Die Fertigkeit und Kraft, mit welcher Sie den lateinischen Ausdruck beherrschten, zeigten mir, was eine lebendige Sprachkenntnis heißen wolle.« Isdem fere verbis Ludwig Kuhlmann a nobis laudari potest.
- 9 Saepius comperi eos, qui Latinitatem vivam colant, non neglegere linguas hodiernas.
- 10 Kritik der Urteilskraft (ed. Karl Vorländer, Hamburg 61924, p. 73 = p. 55 tertiae editionis, quam philosophus ipse curavit, Berlin 1799): »Muster des Geschmacks in Ansehung der redenden Künste müssen in einer toten und gelehrten Sprache abgefaßt sein; das erste, um nicht die Veränderung erleiden zu müssen, welche die lebenden Sprachen unvermeidlicher Weise trifft, daß edle Ausdrücke platt, gewöhnliche veraltet, und neugeschaffene in einen nur kurz dauernden Umlauf gebracht werden; das zweite, damit sie eine Grammatik habe, welche keinem mutwilligen Wechsel der Mode unterworfen sei, sondern ihre unveränderliche Regel behält.« Idem fere dicit Roland Poncelet (Cicéron traducteur de Platon. *L'expression de la pensée complexe en latin classique*, Paris 1957, p. 371), cum scribit: »C'est parce que la langue de Rome est inchangeable qu'elle reste impérissable.« Ibidem (n. 1) disputat contra imaginem linguae, in qua mutationes dominantur, et clamat: »je crains fort que le courant historique n'emporte avec lui l'humanisme et l'esprit tout court.«
- 11 Non despiciendae sunt exercitationes simplices, quae in Universitatibus erunt in annos gravioris momenti. Etiam hic eos, qui discant sententias Latinas scribere, linguam antiquam ut veram linguam comprehendere opus est. Utinam et discipulis in gymnasiis liceat quam plurimum Latine scribere vel etiam loqui!
- 12 Cf. Alfons Weische: *Quomodo perspicuitas cum vi poetica in Lucretiano usu ablativi coniuncta sit*, in: Jesús Luque Moreno – Pedro Rafael Díaz y Díaz (editores): *Estudios de Métrica Latina*, Granada 1999, vol. II., 963-973.
- 13 Cf. Roland Poncelet, (ut in n. 12), passim.
- 14 Cf. Dirk G. J. Panhuis: *The Communicative Perspective in the Sentence. A Study of Latin Word Order*, Amsterdam / Philadelphia 1982 (Studies in Language Companion Series, vol. 11).